



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSUS 10.

*Beati, qui persecutionem patiuntur
propter iustitiam, quoniam ipso-
rum est regnum cœlorum.*

QVÆSTIO I.

An Beati, qui persecutionem patiuntur?

*persecutio
nis iniusta
est causa.* §. 1. **P**rimum in persecutionis fructu est iniustitia
causa. Quoniam sine iusta causa patitur, oc-
cidi potest, coronari non potest. Deinde latissimò
patet persecutio. Non enim mores duntaxat, exilia,
& bonorum expilationes eo pertinent; sed calumniæ
etiam, odia, irrisionesque, & hostium, & domesticò-
rum.

§. 2. Gloriabantur olim Donatistæ persecutionem se pati, & nostro tempore præcipuè Anabaptistæ, & Caluiniani. Verum patiebantur illi vt fures, vt homicidæ, vt adulteri, vt Blasphemi, quemadmodum & nostro tempore, quos nominavi. *Apud eos non est veritas martyrii, quia non est veritas Christi, vt verissime.* Apollinarius. Hanc iustam esse persecutionem seu potius executionem legitimique magistratus officium, etiam hunc in locum tum a iis se statij, tum Chytræus notauit. Et olim præclare docuit Epist. 50. ad Bonifacium comitem S. Augustin. *Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio iniusta, quam faciunt impij Ecclesia Christi. Et est iusta persecutio, quam faciunt impij Ecclesia Christi.* Ista itaq; beata est, qua persecutionem patitur propter iustitiam: illi vero miseri qui persecutionem patiuntur propter iniustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi sciendo. Ista vt corrigat, illi vt eueriant. Ista vt retocet ab errore, illi vt præcipitent in errorem. Deniq; ista persequitur inimicos, & comprehendit, donec deficiant in vanitate, & in veritate proficiant. Illi autem retribuentes mala pro bonis quia eis consulimus ad æternam vitam, salutem etiam temporalem nobis conantur auferre: sic amantes homicidæ, vt in se ipsos ea perficiant, quando an alijs perpetrare non possunt.

§. 3. Tertullianus doctē & neruſe hoc loco contra Gnoſticos & Valentinianos vtitur. aduerſ. Gnoſticos. Diſſuadebant illi martyria, & tepidiſſe, trepidiſſe facile perſuadebant. Dementiam eſſe pro Deo mori. Semel Chriſtum pro nobis obſiſſe, vicem non repetere, &c. c. 10. Quibus ille reſpondet c. 9. Superſeꝝ ne antiquitas ſuum forte habuerit Sacramentum, nouitatem Chriſtianam recensere, quaſi & de Deo aliam, ac prouide diſciplinā quoque annuſam, cuius ſophia Filios ſuos iugulare non norit. Planē alia in Chriſto & diuinitas & voluntas & ſchola, & martyria, aut nulla in totum, aut aliter intelligendā mandari, qui neminem ad huiuſmodi diſcrimen hortetur, qui pro eo paſſus nihil reſpro-mittat, quia paties noli. Et ideo præceptorum principia deducens, Beati, inquit, qui perſecutionem patiuntur ob iuſtitiam, quoniam illorum eſt regnum celorum. Hoc quidem abſolute ad omnes, de hinc proprie ad Apoſtolos ipſos: Beati eritis cum vos dedecorauerint, & perſecuti fuerint, & dixerint aduerſus vos omnia mala propter me: Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra plurima eſt in celo. Sic enim faciebant & Prophetæ patres eorum: ut etiam prophetaret quod & ipſi occidi deberent ad exemplum Prophetarum. Quanquam & ſi omnem hanc perſecutionem conditionabilem in ſolos tunc Apoſtolos deſtināſſent, vtique per illos cum toto ſacramento, cum propagine nominis, eum traduce Spiritus ſancti, in nos quoque ſpectaſſet etiam perſecutionis obende diſciplinā, ut in Hereditarios diſcipulos, & Apoſtolici ſeminis fructus.

Eodem loco utitur Cyprian. l. de exhort. ad mar-

tyr. cap. 6. 11. 12. & libr. 3. ad Quirin. de bono
marty ij.

§. 4. Idem nihilominus Tertullianus iam Mon-
tani hæresi infectus ex eisdem verbis colligit, in per-
secutione fugam esse prohibitam. I. de fuga in per-
secutione, cap. 7. Aut pati enim nos voluit persecutorem,
aut fugere. Si fugere quomodo pati? Si pati, quomodo fuge-
re? Iam vero quanta inæqualitas sententiarum subitus ju-
gere, & instantis ad passionem contrariam fugæ? Qui con-
fessus fuerit in me, & ego confitebor in illo, coram patre
meo. Quomodo confitebitur fugiens, quomodo fugiet confi-
tens? non me confusus fuerit, & ego confundam eum coram pa-
tre. Si dico passionem, confundo confessionem, Felices qui
persecutionem passi fuerint causa nominis mei. Infelices ergo,
qui fugiendo, ex precepto non erunt passi. Qui sustinuerit in
finem iste saluabitur. Quid ergo me tubes fugere, vis in finem
sustinere tanta diversitas sententiarum, si non congruit diuine
grauitati, apparet ex his quoque præceptum fuge suam nunc
habuisse rationem quam ostendimus.

Huic rationi citius facile responderi potest. Pa- Patien-
 ti nos voluit, & fugere. Non enim funt illa pugnan- aliquando
 tia. Fugere enim, exulare, possessionibus excuti, pati Deum re-
 est. Pati stantes voluit, cum id eius gloria, ex emplum luit, ali-
 Ecclesiæ requirit, constantia patientis admittit. Pati quando
 fugientes, cum ad diuinam gloriam Ecclesiæ, & fu- fugien-
 gientum utilitatem est conducibilis. Iuuat & pas-
 sionem, vel vt cruces, aut rogos ascendant, vel suilla
 infirmiter exhorretunt, fugant, et cunctant, & amissis
 vitæ solatijs leniorem, sed diuturniorem persecutionem
 patientur. At quomodo confitebitur fugiens?
 An non ille Deum confitetur; quia domum, uxorem,
 liberos, patriam, & quod persecutoribus omnibus
 maius videtur, opes & voluptates deserit, vt fidem
 seruet? vt pluribus predicare possit? Gloriosa fu-
 ga est, qua longissimæ persecutionis atrocitas tole-
 ratur.

Nec sequitur, infelices esse fugientes, si beati sunt
persecutionem patientes: Nam vt dixi, in fuga etiam
est persecutionis tolerantia. Si enim negare Chri-
stum vellet, fuga opus non esset. Infelices igitur sunt,
quia contra Dei præceptum vel vera negando, vel
falsa asserendo, vel idololatriæ cultus exhibendo,
id agunt, ne persecutionem patiantur. Virget tamen
ille. *Primo si à Deo est persecutio; quales est vt idem eam su-
giendum mander, qui & inferi. Quam si euadi vellet, non
immitteret, ne voluntatem suam alia voluntate præiudicari
videretur.*

Hoc quidem verbis speciosum, reuera impium *Mala à Deo im-*
est. Persecutionem Deus immittit permitiendo Sata- *missa fuisse licet.*
nā vt per instrumenta sua scire queat. Persecutio-
nis immissa portiones ita temperat, vt non eadem
omnes patiantur; alijs celeri morte defungi per-
mittitur, alijs per singula corporis membra diutissi-
me, acerbissimeque cruciantur, aut deportantur, a-
lij vel dignitatibus deiciuntur, aut patrimonio mul-
tantur. Omnes mandatum vnum habent, vt om-
nia potius patiantur, quam in Deum peccent. Nul-
li mandatum est, ne fuga cruciatus declinet. Quod
si mala à Deo immissa fugere non licet: nec igitur
cum terra mouet, cum mare exundat, fugere con-
cessum est, nec contagio vitanda, nec belluorum, aut
serpentium incurfus; ne imbres quidem, & im-
modicos solis aestus, tecto, vel vm-
bra defendere li-
ceret.




VER-